





Üdvözlő versök 358.

EUCHARISTICON,

S I V E

ACTIO GRATIARUM

OB IMPETRATUM PENSIONIS AUG.  
MENTUM

O P E , A T Q U E O P E R A  
INCLYTÆ UNIVERSITATIS

PROVINCIAE

COMAROMIENSIS.



C O M A R O M I I ,

Typis Valentini Weinmüller. 1800.

ACTIO GRATIARUM  
AC TIBI QUITA 190

Agnovisse beneficia,

Est magnis mentibus reddidisse.

Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias.

*Plutarchus, Seneca, Terentius.*

KNY-18-00344





## ELEGIA AD MÆCENATES.

Buda Patres Patriæ celsa complectitur Arce,  
Justitiæ sedem, Consiliique Domum:  
Non abs re Budam supplex mea charta tetendit;  
Sed pulsare Sacras non fuit ausa fores:  
Ni precibus pondus superaddat Patria tellus,  
Roboret & chartam Publica Charta meam.  
Inclyta Nobilitas votis mea vota secundat,  
Jungit enim Scriptis hæc mea scripta suis.  
Institeram, pretium supplex tulit ille Libellus,  
Charta bonis Avibus carpserat illud iter:  
Sedria, vulgari quæ dici nomine s̄revit,  
Illa fuit precibus Sessio fausta meis: \*

\* Celebrata fuit Sessio Comaromii mense Decembris, 1799.

Faverat ille mihi, Tabulæ qui præsidet almæ,  
Annuit & votis Sedria tota meis.

Phæbe fave, Nummi causa dum Barbita pangam,  
Fac, auro fiat concolor ipse stylus!

Excelso placuit, quod supplicis ora petebant,  
Consilio, precibus Buda benigna fuit.

Exigit illa tamen, Medici quoque sensa loquantur:  
Fregerit an vires cana Senecta meas?

Esse mihi fracto fractas in corpore vires,  
Judicio Sapiens perspicit ille suo: \*

Senserat is nostri frigescere pectoris ignem;  
Noverat & fibras Clinicus ille meas:

Jam septem vitæ decies absolvimus annos,  
Climacter aderit, mortis adibo viam:

Viribus est nullis, est corpus arundinis instar,  
Turbine ventorum sternitur illud humi:

Jam digitæ torpent, spasmis junctura rigescit,  
Articuli non jam, qui valuere, valent;

Si Boreas surgat, si prælia misceat Eurus,  
Dextra suos calamos vix macilenta regit:

Dissipit ipse cibus, refugit mea lumina somnus,  
Volvitur obtuso dente premenda caro;

De-

\* Claris. artisque saluberrimæ peritisimus Dom. G. B.  
L. Regioque Civitatis Comarom. Physicus ordinarius.

Deficiunt nervi, nervos rigor opprimit ipsos,  
 Centum floreni grande levamen erunt!  
 Rarus adest Numus, supereft mihi curta supellex,  
 Nulla mihi domus est, est mihi nullus ager:  
 Non segetes tellus, non profert gramina pratum,  
 Arbor nulla mihi, Vinea nulla viret,  
 Nec vaccæ, nec oves, nunquam mihi mulcra repletur  
 Ubere, nam lactis nec mihi gutta fluit:  
 Non mihi sunt cortes, non est gallina, nec anser,  
 Nec vos mella mihi fundere vultis Apes!  
 Pauper eram semper, nec rura, nec arva coluntur,  
 Æs inter curas ultima cura fuit.  
 Prædia nulla mihi, non æris acervus, & auri;  
 Cræsus duntaxat nomine notus erat.  
 Congeries chartæ, Breviaria cuncta supellex,  
 Suntque mihi Calami, divitiæque Libri:  
 His ego contentus contrivi tempora vitæ,  
 Dum teritur manibus plurima charta meis:  
 Discipulis parvis, magnis, cathedralisque Scholarum  
 Sacravi vitæ plurima lustra meæ,  
 Libros composui, quorum pars prela subivit,  
 Pars intacta manet vix subitura typum. \*

---

\* Dissert de Terræ motibus Regni Hung. Jaurini 1783.  
Universa Hist. Physica R. Hung. IX tomis: quinque ex-

Unde mihi Numus? numos mihi Castra dederunt,  
 Castra sed & numos eripuere meos,  
 Non ego longinquas temere spatiabar in oras,  
 Jussus Militiae cominus ire comes:  
 Quo me bella vocant, Castris dum Sacra ministro,  
 Cogor inexpertas ire, redire vias.  
 Hausit iter sensim numos per regna, per urbes,  
 Diminuit numos Itala terra meos:  
 Aggesit modicos dives mihi Dacia numos,  
 Absumpfit numos terra Bohema meos.  
 Hic tempestatum portavi pondus, & æstum,  
 Frigida condivit fercula sæpe fames.  
 Tegmen erant nubes, culmus vix stramina ullus,  
 Offa dolent, tellus nuda cubile dedit;  
 Nullibi tuta quies, corpus sudavit, & alsit,  
 Tædia dum Martis per tria lustra tulit.  
 Pax ubi firma stetit, reducem me Patria vidit,  
 Est natale mihi terra Comora solum. \*
 Ultimus incolui tribus annis Presbyter arcem,  
 Corruit Arx subito, diruta Templa jacent;  
 Nam

---

cusi sunt Posonii. 1793... Item Literatura Orbis compendio adumbrata IV tomis in MSS. Sub incude est Chorographia Arcis, Urbis, ac Provinciæ Comaromieñsis...

\* Corona ex Transylvan. a Legione Haller Comarium accitus 1780.

Nam dum succutitur terrarum motibus Ister,  
 Concidit Arx, vix non Arce cadente cado. \*  
 Præmia nulla tuli, Martis quod Signa negarunt,  
 Nobilitas meritis contulit alma meis,  
 Patria dulcis erat, votis dum vota secundat,  
 Nectare fit labris dulcior illa meis;  
 Restaurat tenues obtenta pecunia vires,  
 Junior est numis facta Senecta suis;  
 Votorum factus sum Buda Judice compos,  
 Buda Urbs præ reliquis urbibus una sapit,  
 Prima dies Maji fluxit mihi concolor auro.  
 Fortunæ fueram nescius ipse meæ:  
 Calculus est albus quo me suffragia donant,  
 Hinc Majo major non mihi mensis erit. \*\*  
 Buda suam mittit chartam, mea vota triumphant,  
 Florenis centum charta gravata fuit;  
 Non erat illa gravis, relevat quia Numus egenum  
 Cassa crumena gravat. farta crumena levat,  
 Dum centum numis adjecit Buda trecentos,  
 Munera munifica contulit illa manu:  
 Quemlibet æra juvant, recreant juvenemque, Senemque  
 Arridet gravibus plena crumena Viris;

---

\* Sub terræ motu Anni 1783.

\*\* Benigna Resolutio de Pensionis augmento emanavit I Maji, 1799.

Felicem reputat Mundus, cui suppetit aurum,  
 Credite, Nummatis mitior aura favet!  
 Non Homines tantum, placant quoque munera Divos,  
 Dum capitur Donis Jupiter ipse suis.  
 Undique, quid mirum? Regina pecunia regnat,  
 Regnorum Dominis hæc Dominata fuit:  
 Bella cruenta ciet, Pacis quoque fædera nectit  
 Numus, & armatis imperat ille Viris.  
 Robur habet ferrum, ferro est robustius aurum,  
 Quo minor est Adamas viribus, atque Silex:  
 Aurea munitas clavis referaverat arces,  
 Qui rupit turres, aureus imber erat.  
 Spes ubi nummorum, lucri spes fulget, & auri,  
 Incutiunt trepidis nulla pericla metum;  
 Ora regit numus, mutos facit ille disertos,  
 Pro numis etiam currere claudus amat:  
 Juris Consultos pariter facit esse disertos  
 Numus, & hoc mutos reddere sæpe solet.  
 Cur aurum celebro, Mundus quod laudibus ornat,  
 Numorum laudes Virque, Puerque canit:  
 Non ego diffiteor: Vates nam vera loquntur:  
 Me quoque Numorum scribere jussit amor;

Multa potest numus , crescit sapientia numis ,  
 Exposcit numos charta , liberque meos .  
 Ingruat aut forsan Ripheum frigus ab Arcto ,  
 Consumet flammis nostra metalla focus ,  
 Ut caleat fornax , in fumum Quercus abibit .  
 Vix non ligna magis sunt pretiosa Croco !  
 Indigit obsequio . fulcroque effæta Senectus ,  
 In se corpus iners dum grave sentit onus .  
 Ni videant numos , nisi ditia munera sperent ,  
 Nemo movet digitum pro Sene , nemo pedem .  
 Sola juventa placet , senium vix respicit ullus ,  
 Vilior est alga , quisquiliisque Senex :  
 Nemo favet Senibus , nisi sint Sestertia præsto ,  
 Pro modico famulus munere nullus erit .  
 Quidquid consenuit . vilescit , deme Monetam ,  
 Seu nova sit , pariter seu vetus , illa placet :  
 Quin doctrina vetus corrupto dissipit orbi ,  
 Nec Libri , Antiquis qui placuere , placent .  
 Heu mihi , cur senui ? reputat quis in Orbe senectam ?  
 O quam sæpe Senem tristia fata premunt !  
 Talia dum querulor , Phæbus mihi dicit in aurem :  
 Cur acuit curas folicitudo tuas ?

Tene putas solum; plures gravat ægra Senectus,  
 Sis modo Nummatus, semper habebis opem!  
 Omne, quod est Vivens, gaudet producere vitam,  
 Et Pylios optat vivere posse dies:  
 Quisque emeret longum numorum millibus ævum;  
 Sed pretio redimi nulla Senecta potest.  
 Quid senium culpas, dum Mundus & ipse senescit,  
 Laudibus est merito digna Senecta suis.  
 Vix sapiunt Juvenes, sera est sapientior ætas,  
 A Senibus nomen mite Senatus habet:  
 Non minus a senio crescit præstantia Vini,  
 Præque novis numis prisca Moneta valet:  
 Consilium, ratio, mens, experientia major,  
 Quo mage sunt niveis tempora tincta comis.  
 Pone metum, rodant tua nec præcordia curæ;  
 Afflat enim velis mollior aura tuis.  
 Concine Nobilibus svavi modulamine grates,  
 Nobilitas senio nám favet alma tuo.  
 Dixit, & in tenues Phæbus disparuit auras,  
 Huc illuc verti lumina, solus eram.  
 Phæbe vale, quia justa jubes, tua jussa verebor,  
 Et flectam sensus in tua verba meos:

Sed Fateor, graciles mihi sunt pro Carmine vires;  
 Tam metra, quam venam ruga senilis arat.  
 Carmina rarescunt, Carmen vix æstimat Orbis.  
 Dicitur & vanum vana Poësis opus.  
 At quia Phæbe jubes, in versus ora resolvo:  
 Ut decet, imperiis obsequor ipse tuis.  
 Centum florenis ego reddo Disticha centum;  
 Ditior hoc numero Pensio facta fuit.  
 Plaude chorus Vatum, ter ternæ plandite Musæ!  
 Plaudite vos Chartæ, plaudite vosque Libri!  
 Robur habet numus, rumpitque silentia Vatum,  
 Numus ubi resonat, plectra sonora canunt,  
 Patria Nobilitas hoc me cumulavit honore,  
 Ut pro me Budam candida verba daret:  
 Sesio tota mihi facilis conspirat in unum,  
 Ut pondus scriptis adderet illa meis;  
 Nostra favore tuo vegetatur adulta Senectus,  
 Auspice Te teneo, quod mea scripta voent.  
 Nescio quas referam tanto pro numere grates?  
 Sentio nam numeris verba deesse meis:  
 Musa ferat dignas laudam tibi munera grates,  
 Nil mea mens majus, quod tibi reddat, habet:

Sit mea Nobilibus pro munere grata voluntas ,  
 Nobilitas Patriæ Carmine digna facit !  
 Inlyte Nobilium Cætus tibi vota dicabo ,  
 Et plectro grates significabo meas :  
 Vivite felices , onerent vos plaustra Bonorum ,  
 Danubius vobis aureus ipse fluat !  
 Dolia vestra fluant vestris e vitibus orta ,  
 Impleat & vestros aurea messis agros !  
 Centuplices reddant agrorum germina fruges ,  
 Pascantur centum vestra per arva greges .  
 Numorum cumulis marsupia vestra tumescant ,  
 Provehat & vestras aura secunda rates !  
 Firma valetudo faveat constantior auro ,  
 Sit semper vegetis prospera vita comes !  
 Cœtibus exsurgant laqueata Palatia vestris ,  
 Pro laceris tectis Nobile surgat opus !  
 Præses , qui fecit nostros augescere numos .  
 In longum vegetos protrahat ille dies :  
 Maximus es Themidos cultor , defensor & æqui ;  
 Ponatur meritis Aurea Sella tuis !  
 Numinæ Te servent , salvum Te Sidera præstent ,  
 Sint desideriis omnia prona tuis !

Qui scriptis nostrum firmaverat ipse Libellum  
 Est auro calamus dignus , & ipsa manus ,  
 Cedro digna geris , qui Publica Scripta gubernas  
 Cum Sociis , calamos Mens regit alta tuos :  
 Expertus didici quantum tua Dextera possit ?  
 Flexit Budenses in mea vota Patres .  
 Omnis apex fiat , quidquid conscriperis , aurum ;  
 Nam votis fueras aureus ipse meis .  
 Vos omnes , quotquot placide mea vota probastis ,  
 Vivite , Nobilium flos , Patriæque decus !  
 Obveniant Vobis tituli , subsellia , fasces :  
 Scandat & ad summos Gloria vestra gradus !  
 Quisque suos videat Natos , videatque Nepotes ,  
 Annorum centum vivite quisque dies .

*Ita gratus vovet  
 Septuagenario major  
 Joannes Bapt. Grossinger,  
 Archid. Strigon. Presbyter.*



# ELEGIA,

SIVE

# EPISTOLA

ISA M

AD TYPI MÆCENATEM.

**E**n tibi Mæcenas cum Carmine mitto Salutem,  
Patronum recolit Te mea Musa suum!  
Centum florenis quæ nuper Pensio crevit,  
Me monet, & Grates reddere metra jubet.  
Carmina visa tibi placidis complecteris ulnis,  
Hinc prælo Numis cusa fuere tuis;  
Auspice Te vivunt, tibi sint hæc Disticha cordi,  
Atque hilari vultu respice Vatis opus!  
Illa tibi vitam debent, quod luce fruantur  
Præsttit id numis Dextera larga suis;  
Quos nemo petiit, numos Tu porrigis ultro,  
Viva facis donis mortua metra tuis.  
Si non suppetias tua forte Moneta tulisset,  
Mansissent tenebris illa sepulta suis.

Fi-

Filius es lucis; tenebras ex mente repellis,  
 In Templi cathedra dum Sacra verba tonas:  
 Mens tua subtilis prorsus sublima versat,  
 Sunt tibi, quam nummi, Carmina grata magis.  
 Pingnior es Parochis, tua quos vicinia, spectat,  
 Dum tibi, nec mirum, terra, polusque favet.  
 Semper erant pingues, tua quos Ecclesia fovit,  
 Et coluit Sacros vulgus Isense Patres. \*  
 Desine mirari; nam pinguia rura colebant,  
 Pingu de Cœlo rore rigantur agri.  
 Spiritus, & corpus, pinguescit & ipsa crumena,  
 Turgida dum nitro fructibus aura favet:  
 Sic tibi pinguescant fulvis marsupia numis  
 Adferat & largas frugifer annus opes  
 Arva tibi faveant, hinc densa pecunia crescat,  
 Multiplicet numos Oeconomia tuos!  
 Multa potest Nummus, si spes affulgeat auri,  
 Offert obsequium pesque, manusque suum.  
 Numi sunt nervus, Pietas exposcit & illos,  
 Abs numis nunquam res bene gesta fuit:  
 Deficiant numi, surgent nec Templa, nec Arae,  
 Est ubi pauperies, omnia squalor habet.

Re-

---

\* Adm. RR. DD. Parochi: Köszegi, Ketskeméti, & alii ab annis LX mihi notissimi, ac benevolentissimi.

Recreat & Musas argenti fulgor, & auri,  
 Arridet cupidis auribus ipse sonus.  
 Perge bonis Avibus Mæcenas spargere numos,  
 Sumptibus ut surgat culta Thalia tuis!  
 Sint tibi divitiæ, pondus cumuletur & auri,  
 Altius ut Pindi, te duce, surgat honos.  
 Mollem det lanam, largum lac fundat ovile,  
 Vacca etiam vitulos duplicet ipsa suos,  
 Hortis aspiret Zephyrus, vireatque Leányvár,  
 Hic tumido Pepones pondere rura premant:  
 Arbutei crescant fætus, placeantque palato,  
 Deflectant ramos mitia poma suos:  
 Quidquid contigeris digito, bene Sidera vertant,  
 Conatus vegetent aurea fata tuos!  
 Vive diu vegetus totidem Josephe per annos,  
 Quot metricos numerant Disticha nostra pedes!  
 Te spectet stabilis vultu Fortuna sereno,  
 Ter felix annos augeat Isa tuos.

*Ita votet*

*Idem Poeta*

*Septuagenario major.*



